

hospite. *Societur* attinet, quando hospitis manum prehendit; potest enim quis sociari cum hospite et non loqui, i. e. potest manum ejus tenere et ei jungi, et tamen non loqui. Hoc vero notandum: quod dicit, ut, cum indigent solatia, administrentur, isto modo debet fieri: cum multi sunt hospites, debet hospitalarius dicere abbati aut priori: quia hospites multos habeo. Et tunc debent jubere fratribus duobus vel tribus, qui adjuvent illum, et illi propter honestatem melioribus vel mundis vestimentis induti servire debent hospitibus et illi fratri impendere adjutorium, donec necesse fuerit. Post vero illi fratres ire in aliam obedientiam debent, ubi eis imperatum fuerit, et ille hospitalarius debet suum ministerium perficere. Ita et cellararius debet facere, cum cuppas aut pannos lavare vult; quaerere fratres debet ad sibi obediendum, ut eum adjuvare possint, quia illas cuppas vel pannos de XV in XV dies propter munditiam lavare debent.

Cap. LIV.

UT NULLATENUS MONACHUS DEBEAT LITTERAS VEL ALIQUID ¹⁾ SUSCIPERE.

Quia superius dixerat, qualiter suscipiendi essent hospites, et praeceperat, ut nullus eis loqueretur sine jussione, nunc [vero] disponit, quid agendum sit, si aliquis alicui fratri quidquam forte detulerit, i. e. quod superius non dixit, in hac sententia latius exsequitur; dicit enim, si monachus debeat litteras vel aliquid suscipere.

Sequitur: *Nullatenus liceat monacho neque a parentibus suis, nec a quoquam hominum, nec sibi invicem litteras aut eulogias vel quaelibet munuscula accipere vel dare sine praecepto abbatis. Quodsi etiam a parentibus suis ei quidquam directum fuerit, non praesumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit abbati. Quodsi jusserit suscipi, in abbatis sit potestate, cui illud jubeat dari, et non contristetur frater, cui forte directum fuerit, ut non detur occasio dia-*

¹⁾ vel eulogias. Cod. Fürstzell.